




# PALAESTRA LATINA



## S U M M A R I U M

COROCOTTA, REX LATRONUM.

DE RECTA LINGUAES LATINAEE PRONUNTIATIONE.  
(Jové)

STELLA MARIS. (Mesa)

HORATIUS FABULARUM SCRIPTOR. (Martínez)

HORATIUS POETA PHILOSOPHUS. (Nebreda)

CURSUS GYMNASTICUS. (Mir)

MOLAE SUBTERRANAE. (Viator)


BIBLIOGRAPHIA. (Leache, Codina)

EXERCITATIONES SCHOLARES.

COMPOSITIONES VERTENDAE.



**Ordinarii atque Superiorum permissu**

## XVIII SACAX FURIT



**P**osridie quam in Teobochi manus inciderant Aulus ejusque filia, Sagacis milites Romanum adveniunt. Quos ubi Sagax adspergit male mulcatos, ictu sanguinis pacie correpus est: tanto ardebat furore! In trepidationem insaniae similem versus est, cum Octavius,


qui rem audierat, asperis eum verbis increpuit, ejusque imperitam exprobavit: «Videbo, curabo» diciturabat Sagax. Octavius autem rigide respondebat: Videndum prius, curandum erat; dein adiecit: «Tollendus est semel de medio Corocotta! Mihi quid sit agendum scio». Et editum promulgavit se centum milia sextertium ei daturum qui latronem regem tradaret si civis esset, si autem servus ei insuper libertatem largiturum. Interea Teobochi nuntius Tulliam adierat, quae ubi epistulam legit, anxia de Terentiae sorte, Auli manda exequi properavit et postero die vespere locum qui constitutus erat advenit. Hominem profecto invenit eique jam pecuniam erat numeratura cum ille: «Pecunia non est opus, sequare me». Haud multo post anus erat ante corocottam.



## XIX AVIA ET NEPOS

**L**ector ne credat nos errare. Non coram Teobocho erat Tullia. Monitus Corocotta a latrone qui foris omnina audierat, con-

gregatos raptim socios ad vindicandam Teobochi perfidiam conduxerat et post brevem pugnam, in qua occubuit Teobochus, Aulum et Terentillam in secessum suum reduxerat. Dein miserat qui Tulliam ad se reduceret. Qui aderant magnopere sunt commoti, cum Tullia flens flentem virginem amplexa est. Sed major illorum fuit admiratio, cum Corocotta, cui adspecta anus commotionem injecratur vehementem, ad eam se proripuit ita rogans: per deos omnes te oro, nonne es Tullia Smyraei Antiochi uxor? Quae cum stupefacta respondisset: «Ego sum», Corocotta exclamavit: «Tuus sum nepos». Et simul extracta e capsula ei ornamenti exhibuit quae puer gerebat semperque maxima cura servaverat. Agnovit Tullia ornamenta, agnovit et nepotem, quem artus ad corpus suum pressit, inter lacrimas solum mussitans: »Mi filiole! Deliciae meae! Amores meis!« Aulus et filia in aliud conclave a latronibus ducti se re-cepérunt.





ANNUS SCHOL. VI. NUM. 51 1935-1936 MENSE MARTIO MCMXXXVI

# PALAEESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

## De recta linguae Latinae pronuntiatione

### DE LITTERA S

Etiamne in littera s proferenda erratur? Erratur profecto, sed a paucis. Errant quippe Hispani solum, neque ii omnes, cum errorem, in quem hodie scribendum incidit, non perpetrent Catalauni; illi enim sicut Galli, Itali, Germani discrimen magnum faciunt inter duplicem ss intervocalicam et eandem simplicem s. Quid tibi videtur, lector humanissime? Est apud Latinos *casus* et *cassus*, *casa* et *cassa*, *quid casum times?*<sup>(1)</sup> et *quid cassum times?*<sup>(2)</sup> Quae si scripta non videas, prolata tantum audias Hispanico modo, equidem non comprehendas; numquid dabimus veteres Romanos duplicem ss frustra retinuisse? Id quidem credendum si cum Hispanis simplex s acri sibilo inter dentes emitti debeat. At neque apud eos semper fuit ita, cum e contra certissime constet usque ad saeculum XVI tale discrimen fuisse inter simplicem et duplicem ss intervocalicas, non tantum in scriptura sed etiam in pronuntiatione, ut illius linguae poëtae voces utrasque ad finem versuum nunquam consonare ficerent.<sup>(3)</sup> Ante illud tempus igitur omnes gentes neo-latinae, ut alias omittam, sonum agnoscebant satis diversum ss duplicitis et s simplicis. Unde tamen? Ex non interrupta saeculorum ab antiquis Romanis traditione.

Ex poëtis autem, qui, ut ait Horatius, legitimum sonum digitis callent et aure, argumentum in nostram rem facile desumam. En tibi

(1) Porqué temes un fracaso? – (2) Porqué temes en vano (Seneca, Herc. Oct. 352) – (3) Encyclopedie Universal Espasa: S. Vide etiam Nebricensem in «Ortografía»: «Si la sílaba precedente acaba en vocal, la r o la s en que comienza la sílaba siguiente suena poco, como diciendo *vara*, *pera*, *vaso*, *peso*. Pero si suenan apretadas doblarse han en medio de la palabra, como diciendo *carro*, *jarro*. De donde se puede coger cuándo estas dos letras se han de escribir sencillas y cuándo dobladas, mirando a la pronunciación si es apretada o floja.

in exemplum casa et cassa. In his duobus vocabulis syllaba cō brevis est a natura. in altera tamen longa est positione, quod poëtae testantur. Haec autem longitudo unde illi oritur nisi ex tardiore pronuntiatione duplicitis ss. Neque id mirum. Hoc demum esset mirandum si idem in pronuntiatione valeret una s atque duplex, cum ad alias quaslibet litteras duplicitas proferendas nemo dubitet duplo nisu et tempore opus esse. Sic prima syllaba in *ilex* non sonat idem atque in *ille*, in *terat* atque in *terra*, in *ager* atque in *agger* et in ceteris hujusmodi. Tam insolitam rem in s contingentem certo notavissent veteres grammatici, qui res alias subtilissimas in scriptis suis notatas reliquerunt. Verumtamen nihil unquam apparebat apud illos, quod paritatem pronuntiationis ostendat ss duplicitis et s simplicis.

Contrarium vero ita testatur Consentius: «S litteram exiliter efferunt Graeci, adeo ut cum dicunt *jussit* per unum s dicere existimes». (1) Quibus verbis evidenter ostendit errare Graecos in vocibus Latinis duo ss quasi unum pronuntiantes. Terentius Maurus comparat s cum x, et de priore ait levem esse et ciere auribus susurrum. (2) Susurrus autem non est sed potius sibilus pronuntiatio duplicitis ss.

Quam dissimili sono auribus adveniret ss duplex et s simplex non difficiler arguas etiam ex consuetudine veterum Latinorum qui antequam in suum abecedarium reciperen t z, ut ζ Graecorum representaret, quod valet ds, non s unum sed duo adhibebant, ut constat ex Diomede: (3) Veteres pro hac (z) duabus ss utebantur ut *Messentius*, et *pitisso*, *tablisso*. Suavitatem litterae s deducenda etiam videtur ex eo quod habet Priscianus: (4) «Adeo autem cognatio est huic litterae (s) cum aspiratione (h), quod pro eo in quibusdam dictionibus solebant Beotes h ponere. muha pro musa dicentes». Cui rei confirmandae magnopere confert lex rotacismi qua multiplices vocabulorum simplices s intervocaliae ob suavitatem in r facile transierunt, ut ait Varro: (5) «In multis verbis in quo antiqui dicebant s, postea dicunt r... foedesum foederum, plusima plurima, meliosem meliorem, asenam arenam». Quod affirmat etiam Quintillianus: (6) Nam ut *Valesii Fusii* in *Valerios Furiosque* venerunt, ita... *lases* et *asa* fuerunt». Qui quidem rotacismus quamquam praecipue contigit s cui praeerat vocalis brevis, affectit quoque nonnullas s quibus praeerat longa vocalis, ut *moris floris turis* ex nominativis *mos flos tus*. Ob alias tamen philologicas leges, eam mutationem impedientes, remanserunt plures ejusmodi s inter vocalicae, ex quibus notanda *rosa*, *asinus*, *positus*, *susurrus*, *disertus*, *miser*, *pusillus*, *casa* et alia, quibus praecedit vocalis brevis et multa alia quibus praecedit longa vocalis aut diphthon-

(1) Keil, V, 392. —(2) Ib. VI, 332, 243. —(3) Ib. I, 424. —(4) Ib. II, 33. —(5) De L. L VII, 26 —(6) Inst Orat. I, 3, 13

gus. Illa igitur verba, quae ex qualibet causa rotacismum non sunt experta, sine dubitatione primaevum s suavis retinent sonum. Imo vero, ait clarus Niedermann, iisdem fere rotacismi temporibus vel paulo infra factum est ut verba quae prius post longam vocalem aut diphthongum duplice ss et pronuntiabantur et consequenter scribabantur, unum s amisissent in pronunciatione et in scriptura.<sup>(1)</sup> Eorum tamen pauca in sermone forensi, archaismorum imprimis retentore, diutius perstiterunt, ita ut Marius Victorinus, regnante Constantino, adhuc dicere posset: «Idem (antiqui) voces quae pressiore sono eduntur, *ausus, causa, fusus, odiosus* per duo s scribebant *aussus...*<sup>(2)</sup> Quae etiam voces tandem non solum apud vulgus sed et in foro ceterarum vicem subierunt, ita ut ex illis paucis deducere non liceat, ut quidam voluerunt, s simplicem intervocalicam Latinorum pressis labris ut ss duplicem pronuntiandam esse.

Negat Brocensis z Graecum pronuntiari quasi s inter vocales aut quasi ss duplex, ut pronuntietur tamquam ds, quocum indirecte discrimen etiam inducit s simplicis et duplicitis.<sup>(3)</sup> Tursellinius in Prologo in Alvari Inst. Grammaticis ait: «Itali alterum s nonnumquam supprimunt: *disero, disipo, disidium* pro *dissero, dissipo, dissidium* et nonnulla id genus perperam sonantes». Et Simeon Aprilis:<sup>(4)</sup> «S cum in medio verbi sola reponitur, debili sono pronuntiatur, ut in verbis *casus, haesi*». Lipsius etiam a nobis est cum scribit: «Lenis ille effatus (litterae s) verior est quem servamus in mediis vocalibus *misi, piso, asinus...* quem Belgae retinent». Quod confirmat Müller:<sup>(5)</sup> «Si inter duas vocales sit posita s pronuntiatur ut Francogallicum z». Scripturam tandem pronunciationis vices esse secutam clare manifestant verba Quintilliani: «Paullum superiores quod nos gemina dicimus *jussi, una* dixerunt».

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

### STELLA MARIS

Ponto incubat atra nox;  
antennae trepidae gemunt.  
Errantes pelago ferunt  
in caelum oculos, preces:  
perflet nunc zephyrus; ratem  
clemens dirige territam.  
Navem quae tua vincitur

O Mater fragilem tene!  
Defendas, Bona, supplices  
nautas, Tu, tenebris vagos!  
Sis lumen precor omnium  
qui acti pelago fero  
clamat: Stella, ave, Maria.

Carolus E. Mesa, C. M. F.  
Bosae (in Columbia) Septimo Kalendas Februario

(1) Compendio de Fonética Latina, traducida por Mendizábal, § 41. —(2) Marius Victorinus, Keil, VI, 8. —(3) Gramm. Graeca, De verbis litterarum sonis. —(4) De arte Poet. lib. de semivoc. —(5) Orthographiae summarium § 14. —(6) Inst. Orat. I, 20.

## Horatius fabularum scriptor

Litterarium Horatii opus, pulcherissimum est adamas atque pretiosissimus, tot faciebus vividissime coruscans, quot fure generae Horatianae poëseos. Hac odorum splendore fulget, illac elegiae jubare micat, istac nitore satirarum renidet, alia didascali lumine poëmatis elucet. Summus ergo in omnibus poëticis generibus Horatius poëta censetur; certe primus est in lyrico, ast fortassis in didascalico non alter. Hic enim Venusini vatis didascalicus character satis a criticis litterariis disquisitus est, parum tamen adspectus hujus characteris mythographicus. »Idem vero critici Auctores, ait A. Pierron,<sup>1</sup> qui in caelum Horatium ut morallem philosophum tam justis et debitibus, tamque splendidis amplissimisque præconiis extollunt, Romanae fidicem lyrae cunctarum fabellarum venustissimas quae toto saeculorum decursu lingua Latinâ scriptae sunt, exarasse obliviscuntur».

Idcirco operae pretium est, ut Horatii amici tamquam primum elegantissimumque omnium mythographorum seu fabularum scriptorum Latinorum legentibus eum proferentes, hanc eidem gloriam in ima oblivionis scrobe sepultam reddere satagamus.

Adserentium in primis sententia rejicienda est scripsisse fabulas, ingenio tanti poëtae indignissimum esse, nam inutile et exiguum aut vile immerito hoc litterarium genus audent judicare, opinione L. A. Seneca fulti fabulas inep-

tias<sup>2</sup> vocantis; sed in gravissimo errore isti versari videntur. Inutile siquidem genitus litterarium esse nequit quod aptius tum ad veritates morales edocendas, tum ad pravos mores corrighendos, existimat. Utrumque sane fabula præstat. «Fabula enim, ajebat S. Ambrosius,<sup>3</sup> etsi vim veritatis non habeat, tamen rationem habet, ut juxta eam possit veritas manifestari». «In quo genere, addidit S. Augustinus<sup>4</sup> fingendi humana etiam facta vel dicta irrationalibus animantibus et rebus sensu parentibus homines addiderunt, ut ejusmodi fictis narrationibus, sed veracibus significationibus, quod vellent commendatius intimarent... ut apud Horatium mus loquitur muri et mustela vulpeculae, ut per narrationem fictam ad id quod agitur, vera significatio referatur». Fabulas existimo necessarias et perutiles, inquit Dominicus Nanus,<sup>5</sup> non ex eadem causa qua poëtis, sed ut imbecillitatis nostrae adminicula sint et ut dicentem et audientem in rem praesentem adducant». Quapropter, scripsit L. Beyerlinck,<sup>6</sup> veritatem magis etiam quam ceteri poëtarum videtur attingere fabularum scriptor... iste vero sermonem præponens, quem ita ut est fabulosum esse quisque novit, aliquid vere dictum de rebus non veris esse demonstrat».

Fabula quoque plurimum valet ad pravos mores corrighendos. Fabularum scriptor vitium impugnat, dixit D. Co-

(x) A. Pierron, *Histoire de la littérature romaine*. Chap. XXVII. VI- pg. 375.—(2) L. A. Seneca, *De Beneficiis*. Lib. I. IV. Pag. 265. (Editio Antwerpensis 1615).—(3) D. Ambrosius. *De Officiis*, Lib. III.—(4) S. Augustinus, *Contra Mendacium*. XXVIII.—(5) Polyanthea Universalis. *Fabula*, pag. 443.—(6) Magnum *Theatrum Vitae Humanae*, *Fabula*, pag. 501-502.

lonta, <sup>1</sup> quasi aliud agens ac veluti per cuniculos et monitorum austoritatem condimento fabularum mitigat, ut nempe captus ac delinictus innoxiae voluptatis

illecebris, animus salutarem medicinam libenter admittat, ut sapienter monet Lucretius:

*Nam veluti pueris absinthia taetra medentes  
Cum dare conantur, prius oras pocula circum  
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,  
Ut puerorum aetas improvida ludificetur  
Labrorum tenuis; interea perpotet amarum  
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur,  
Sed potius tali facto recreata valescat.*

Neque vilis aut exiguis labor ratione decipientis facilitatis fabula dicenda est. Legito quod opere quodam nondum edito <sup>2</sup> de hac quaestione scribere ausi sumus: «Cave tandem credas, esse fabulam facili compositione poëma; est contra profecto difficillimum, nam exigit in fabulatore spiritum maximae observationis ac reflexionis; ingenium acutissimum ad rerum analogias detegendas; magnum intellectum ad educenda pulchra et moralia principia ex actionibus forte nugacissimis, ordinariis eventibus, inanibusque dictis; sumimamque perspicacitatem ad propriam indolem unicuique tribuendam, claramque cognitionem omnium fabulae regularum atque solertiam in recta eaurumdem adimpletione.»

Ipsa quidem sua fabulae simplicitas est cautes eminentior in quam crebro hujusmodi scriptores sese allidunt. Pauci enim sunt fabulatores qui hoc genere litterario aeternum gloriosumque nomen sibi ubique acquisiverint.

His vero de utilitate atque fabulae praestantia praemissis, ad hujus articuli scopum redeamus. Nullus erit eruditus censor litterarius qui affirmare audeat

Graecum apogorum a poëtis Latinis non esse ad Phaedri tempora usque imitarum. At enim «non tantum inter Latinos fabularum scriptores, ait A. Pierron, <sup>3</sup> Phaedrus vetustior non est, verum neque etiam primus ingenio aut operum perfectione». Pluribus jam annis antequam in lucem Phaedri fabulae prodirent, (nam decem et octo annis ante illius adventum, mortem Horatius oppetiit), uterque tum satirarum tum Epistolarum liber in quo omnes Horatianae fabulae reperiuntur, Romae erat notus atque reguatus. Id ipsum enim opere supra enuntiato jam declaravimus, dum scripsimus: «Non fuit quidem Phaedrus primus Latinus poëta qui fabulas scripsit, ante tamen Horatius indirecte atque in modum exempli suis operibus adjunxit. Lege in suarum fabularum praefatione F. Aviani testimonium: «Verum has pro exemplo fabulas et Socrates divinis operibus indidit et poëmati suo Flaccus aptavit quod in se sub jocorum communium specie, vitae argumenta contineant». Paucas certe numero fabulas Horatius composuit, sed elegantia et lepore omnes aliorum fabulatorum exsuperant et commendantur.

(1) D. Colonia. De Arte Rhetorica. Cap. I. pag. 12. (Editio Complutensis, 1796).—(2) De Artis Poeticae Latinae Principiis Libri V., Lib. IV, Cap. III. Art. II, pag. 488.—(3) A. Pierron. Loc. Cit.

Decem et septem praecipuas a se inventas et quasdam ex Aesopo, Stesicharo et Babria selectas reliquit. Cuncta ferme fabularum genera Horatius adhibuit, sed parabolas praesertim coluit. Hoc igitur modo omnes Horatianae fabulae dividi

possunt: duodecim sunt parabolae, quatuor apologi, una est symbolum seu fabula libystica.<sup>(1)</sup>

Breviter jam et summatim Horatianarum unamquamque fabularum juxta nuper statutam divisionem exponamus.

### PARABOLAE HORATIANAE

I. *De miserrimo avarorum fine.* «Quidam Ummidius adeo erat dives ut nummos metiretur; ita tamen sordidus, ut se melius servo numquam vestiret; metuebat usque ad supremum tempus ne penuria vicius se opprimeret; at liberta fortissima Tyndaridarum hunc securi medium divisit».<sup>(2)</sup>

II. *De injusto faeneratore.* «Fufidius dives agris, dives nummis positis in faenore timet fammam vappae et nebulonis. Hic quinas mercedes capiti exsecat atque quanto quisque est perditior tanto acrius urget: nomina tironum veste virili modo sumpta sub duris patribus sectatur. At in se, dices, pro quaestu sumptum faciet. Hic? Minime. Vix credere possis quam tibi sit inimicus. Si quis nunquam quaerat: quo res haec pertinet...? Illuc... Moralis Sententia: «Dum vivant stulti vitia, in contraria currunt». <sup>3</sup>

III. *De Murmuratore.* «Maenius male de Novio absenti loquens ab audiente corripitur. Heus, tu te ignoras? An putas te, ut ignotum a me, dare nobis verba? Egomet mihi ignosco, inquit Maenius. Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari. Cum tu lippus inunctis oculis tua mala pervideas, cur tam acutus in vitiis amicorum cernis? At tibi contra eveniet... Moralis sententia:

«Ut alii quoque tua vitia inquirant et detegant». <sup>4</sup>

IV. *De insano Divite.* «Omnes avari juxta Horatium insani sunt, ideoque medendum illorum insaniae, danda est ellebori multo, pars maxima avaris. Ditissimus Staberius omnium suorum relictorum bonorum summam in suo sepulcro heredes caelare coegerit, qui nisi fecissent, essent damnati, centum paria gladiatorum atque epulum arbitrio Arii, quantumque frumenti Africa metit populo dare. Quare hoc fecit...? quod ingens vitium pauperiem credit, quoad vixit. Sicque dicebat... omnis enim res, virtus, fama, decus, divina, humanaque pulcris divitiis parent: quas qui construxerit, ille clarus, fortis et justus erat. Sapiens etiam et rex et quidquid volet». <sup>5</sup>

V. *De miserrima avarorum vita.*<sup>6</sup> «Opinius auro et argento ditissimus miserriam ducebat vitam, tantaque fame cruciabatur, ut tandem grandi lethargo oppressus sit. Heres tum laetus ovansque circum loculos et claves currebat. Medicus vero probus et ingeniosus hoc modo illum excitavit. Jubet mensam ponni atque effundi saccos nummorum et accedere plures ad numerandum. Hisque vocibus mox exercefactus est. Ni tua custodias, jam haec auferet heres. Men'

(1) Libysticam vocat S. Isidorus Hisp. illam fabulam in qua actores sunt entia rationabilia atque irrationalibilia aut forte inanimantia. Lib. I, Etymologiarum. cap XXXIX, Grammatica.—(2) Lib. I, Satyr. I.<sup>a</sup> V. 92, 100.—(3) Lib. I, Satir. II<sup>a</sup> VV. 12, 24.—(4) Lib. I, Satyr. III<sup>a</sup>. V. V. 21, 28.—(5) Lib. II, Satyr. III.<sup>a</sup> V. V. 8a, 98.—(6) Lib. II, Satyr. III.<sup>a</sup> V. V. 142, 157.

vivos. Quanti ergo? Octussibus. Eheu...! Quid referti monbo, an furtis peream rapinis...?

**VII. De diversa filiorum indeole.**  
«Senius: Oppidius censu antiquo dixit duobus natis duo praedia Canusii tradidisse fertur. Vocatis ad lectum dixit moriens. Te, Aule, esse prodigum cognovi, te autem, Tiberi, avarum. Cave ne tu patris bona minuas, tuque ne facias

majus id quod pater putat esse satis et natura coeret. Numquam vos titillat gloria; si aliquis vestrum fuerit aedilis aut praetor, esto instabilis et maledictus. Si vero tu bona perdas in cicere faba et lupinis, ut in circo latus spatiere atque aeneam in eo statuam habeas, nudus agris, nudus nummis sis, stulta, paternis<sup>1</sup>.

**VIII. Scurra Volanerius.** Postquam illi justa diragra  
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque  
Mitteret in pbinum talos, mercede diurna  
Conductum pavit: quanto constantior idem  
In vitili; tanto levius miser ac prior ille,  
Qui jam contento, jam laxo fune laborat<sup>2</sup>.

**VIII. Calaber et Hospes.** Lepida et dbmum viatorem recepit, illumque pulvrenustissima fabula. Calaber quidam in pris vesci jubet... Vescere, sodes.

Jam satis est. At tu quantum vis tollē. Benigne  
Non invisa feres pueris munuscula parvis.  
Tam teneor dono quam si dimittar onustus.  
Ut libet, haec porcis hodie comedenda relinquis.

**Sententia moralis:** Prodigus et stultus donat, quas spennit et odit. Haec seges ingratos tulit et feret omniaibus annis<sup>3</sup>.

**IX. Philippus et Vultejus.** Philipponus causidicus ab officiis rediens virum quemdam otiosum ac gaudentem inventit; postquam ejus nomen exquisivit, ad cenam invitavit, at vero ipse ausus accedere non est. Altero die vilia scrutavidentem occupat. Denuo ad mensam invitat, tandem ad cenam venit. A Philippo etiam postea, ut sibi agrum mercetur, septem milia sextertia accepit. Tum igitur ex nitido oive rusticus fit atque amore habendi senescit. Mox ta-

men eidem terga fortuna dedit. Oves furto, capellao monbo, periens. Sages apem mentita est atque boc enectus arando. Tunc desperatus Vultejus ad Philipponum accedens inquit... «Priori et beatiori vitae me reddet». Hac moraliter sententia haec pulchra parabola clauditur. «Mentiri se quemque suo modulo ac pede verum est<sup>4</sup>».

**X. De Maenio Helluone.** Maenius omnibus paternis atque maternis bonis absuntis urbanus vagusque scurra haberet coepit. Utpote qui praesepe certum non teneret dictariis, opprobriis et nequitiis sibi a civibus exquirebat cibum; hic ubi nihil aut paullum suaes nequi-

(x) Lib. II, Satyr. III.<sup>a</sup> V. V. 168, 184.—(c) Lib. II, Satyr. VII. V. V. 15, 20.—(g) Lib. I, Epist. VII.<sup>a</sup> V. V. 14, 21.

—(4) Lib. I, Epist. VIII.<sup>a</sup> V. V. 46, 98.

tiac fautoribus et timidis abstulerat, quod esse satis tribus ursis cenebat et dicebat... «Ventre nepotum lamna candente urendos»<sup>3</sup>.

XI. *De Milite Luculli.* Noctu Luculli miles stertens collectis viaticis ad assem spoliatus est. Post hoc vehemens lupus factus et sibi et hosti pariter ira-

tus loco summe munito multarumque rerum divite validum hostium praesidium acer jejunis dentibus dejectit. Ad castellum vero expugnandum missus et valde a practore hortatus, tunc ignavo ac timido animo sese estendebat, illucque ire renuebat. Quid stas strenue miles...

«Ibit eo quo vis qui sonam perdidit», inquit<sup>4</sup>.

XII. *De insano in theatro vacuo.* Hanc cogitationem exprimere vult Horatius hac parabola: «Mentis illusiones aliquotiens beatam reddunt vitam, ideoque quaedam est crudelitatis species ipsas ab illusis removere». Fuit Argis

quidam insanus vir, nobilis bonusque praeterea pater, maritus, hospes, vicinus qui in vacuo theatro sedens, laetus magno plausu tragoedos quos se exaudire credebat, prosequebatur. Hic ubi insaniam elleboro expulit...

*Et reddit ad esse: «Pol me occidistis, amici,  
Non servatis, ait, cui sit extorta voluptas  
Et demptus per vim mentis gratissimus error».*

MORALIS SENTENTIA. *Nimirum sapere est abjectis utile nugis,  
Et tempestivum pueris concedere ludum*<sup>5</sup>.

### APOLOGI HORATIANI

I. *Rana et ejus mater.* Minor cum majore certare nequit. Absentis ranarum pullis vituli pede pressis, unus ubi effugit matri denarrat, ut ingens bellua cognatos eliserit. — Quantane, sufflans se mater interrogat, num sic magna fuisse? — Major, major; non eris par, inquit ranula, etiam si te ruperis. «O insane major parcas tandem minori»<sup>6</sup>. Apposite hunc apogorum Phaedrus in Fabula XXIV Libri I imitatus est.

II. *Mus rusticus et Mus urbanus.* Moralem sententiam praeposuit Horatius... Nullus divitiis lautoque cibo est dicendus beatus. Mus rusticus paupere covo urbanum murem accepit. Isti ad

edendum cicera, avenam, arida acina, frustaque semesa lardi tradidit. Urbanus tandem ad rusticum murem talia fastidiens, quid te juvat, dixit, amice, dorso praerupti montis vivere patientem. Urbem petamus et lautiorem vitam ducemus. Cito tamen rusticus illa meliore vita, sed periculis et incursibus canum et felum plena defatigatus valedixit amico inquiens. «Me silva cavusque tutus ab insidiis tenui solabitur ero»<sup>7</sup>.

Hujus apologi auctor est Graecus poeta Babria, sed tanto lepore tantaque vivacitate illum Horatius exposuit, ut nullus alius ad tales perfectionem pervenerit.

(1) Lib. I, Epist. XV V, V, 25-40.—(2) Lib. II, Epist. II, V, V, 26-40.—(3) Lib. Epist. II, V, V, 128-142.—(4) Lib. II, Satyr. III, V, V, 314-326.—(5) Lib. II, Satyr. VI, V, V, 74-117.

**III.** *Vulpes et Leo.* Fame infirmabatur leo et ad se visendum vocavit cetera animantia, ut sine labore venari atque edere possit. Vulpes aegroto cauta leoni respondit: «ad te introire non audeo, quia me vestigia terrent omnia adversum te spectantia et nulla retrorsum». Aesopus hujus fabulae est auctor.

*Otia divitiis Arabum liberrima muto.*

### SYMBOLUM SEU LIBYSTICA FABULA

*Cervus, Equus et Homo.* Cervus melior pugna pellebat equum communibus herbis, hic in certamine minor hominis opem imploravit, hasta homo armatus in eum ascendit atque equus frenum recepit. Voluit, post victoriam, depellere dorso socium et frangere frenum, neque valuit atque in aeternum libertatem amisit. *Sententia moralis.* Sit omnis homo laetus, suaqua sorte contentus, ut sapienter vivere queat.<sup>3</sup>

Auctor hujus libysticæ fabulae fuit Graecus poëta Stesichorus.

Breviter tandem ac summatis omnium praecipuarum Horatii fabularum argumentum nuper exposuimus quod primo intuitu lector cognoscere valeat; ad perfectam vero earundem cognitionem illi opus erit, integras in Libris Satirarum et Epistolarum legere. Ibidem modo totus expressionum lepor, tota dictionum elegantia, tota verborum proprietas, tota idearum imaginumque venustas, totum conceptuum acumen, tota altitudo cognitionum, totusque stili nitor poterunt degustari.

**IV.** *Vulpecula et Mustela.* Forte per angustam rimam in cumeram frumenti tenuis vulpecula repserat, pastaque corpore pleno frustra ire rursus foras tendebat; cui mustela procul, si vis, ait, istinc effugere; macta cavum repetes, artum quem macra subisti. *Sententia moralis.*

Observandum tamen est, metricam Horatianorum versum formam externam non sive interdum esse conformatam atque pauperiorem ac duriorem quam pro tanti poëtae excellentia. Haec forsitan severa sententia (meo vera tenui judicio) de versibus Horatianis alibi prolatâ in multis confirmari videtur, nam crebro neglectis, hypermetrisque versibus, nimiis synaloephis aut ecclipsibus, monosyllabis non paucis, illepidis vocabulorum divisionibus, immoderato hyperbato quod in synphysim, obscuram reddentem cogitationem convertitur, abuti solet. Quibus omnibus non obstantibus, semper inter summos atque optimos Latinorum cunctorum poëtarum, si fortassis non primus neque forsitan secundus, annumerabitur.

Tot igitur in Horatianis libris pulcritudines deteguntur, tot facetiae degustantur, totque sublimes sententiae inveniuntur, ut magna voluptate legantur, maximoque dolore relinquantur.

GREGORIUS MARÍNEZ CABELLO, C. M. F.

(1) Lib. I, Epist. I, 70-75.—(2) Lib. I, Epist. V, V, 29-36.—(3) Lib. I, Epist. X, V, V, 34-44.

## Horatius poëta philosophus

Recurrente anno bis millesimo ab Horati Flacci nativitate, etiam nos pro tenuitate nostri ingenii in illius laudem celebrandam aliqua (*parvos parva decent*) conscribere adgredimur. Vates ipse, famam praesentiens futuram, scribebat:

*Usque ego postera crescam laude recens.<sup>1</sup>*

Novis in dies laudibus cumulabor a posteris, sicque velut innovata mei memoria semper inclarescit, nunquam senescet. Hanc penes homines immortalitatem egregia ejus opera merito consecuta sunt.

*Exegi monumentum aere perennius  
Regalique situ Pyramidum altius,  
Quod non imber edax, non Aquilo impotens  
Posit diruere aut innumerabilis  
Annorum series et fuga temporum.<sup>2</sup>*

Durant videlicet monumenta literarum plus quam aereae statuae ad memoriam collocatae; et plantas, quae seruntur ingenio, nec tempestas nec vetustas consumet.<sup>3</sup>

Multiplici sub consideratione seu respectu et facie poëta noster inspici potest; fuit namque celcissimus poëta, adeo ut in ipsum aptissime conveniat poëtae descriptio, quam tradit ipse pindarico more canens:

*...Neque enim concludere versum  
Dixeris esse satis; neque si quis scribat, uti nos  
..... putas bunc esse poëtam.  
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os  
Magna sonaturum, des nominis bujus honorem.<sup>4</sup>*

Verus ergo egregiusque poëta magnum requirit ingenium, inspiratam mentem, verbum eloquentissimum. At nos tamen Horatianam philosophiam celebrabimus; etenim fuit etiam Horatius magnus philosophus, ingenio praeditus non inculto, non hirto, sed acri, cum pipere et sale, non tamen nigro, ad notandos hominum mores praecipuus, ut inquit Quintillianus.<sup>5</sup>

Quocirca a nostro philosopho abest illa philosophorum lenitas, de qua sic

Tullius scribebat: *mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec vincita numeris, sed soluta liberius: philosophia autem Horatiana popularis est, instructa magis exemplis quam speculativis doctrinis, vincita pulcherrimis numeris et versibus, unde gratius sententiae bibuntur animisquo peritus adhaerent.*

EULOGIUS NEBREDA, C. M. F.

(sequar)

(1) Od. XXX, 7-8.—(2) Od. I, XXX, 1-5.—(3) Cic. de legib. I, 1. — (4) Sat. I, IV, 39-43. — (5) Quintil. Institut. X. De Iulio Floro dicebat Horatius, Ep. I, III, 21-22. *Non tibi parvum*

*Ingenium, non incultum est et turpiter birtum.*

# CURSUS GYMNASTICUS

*Videtisne,<sup>1</sup> ut apud Homerum<sup>2</sup> saepissime Nestor<sup>3</sup> de virtutibus suis praedicit?<sup>4</sup> Tertiam jam enim aetatem hominum<sup>5</sup> videbat, nec<sup>6</sup> ei verendum erat,<sup>7</sup> ne vera<sup>8</sup> praedicans de se nimis videretur aut insolens aut loquax. Etenim, ut ait Homerus, «ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio», quam ad suavitatem<sup>9</sup> nullis indigebat corporis viribus. Et tamen<sup>10</sup> dux ille Graeciae<sup>11</sup> nusquam optat, ut Ajacis similes<sup>12</sup> habeat decem, sed ut Nestoris; quod si<sup>13</sup> sibi acciderit, non dubitat, quin brevis sit Troja<sup>14</sup> peritura. (Cic. De sen. 10, 31).*

## Adnotaciones

Tullius hoc exemplo ostendere conatur, saepe primas in expugnatione urbium deferendas esse, non iis qui maxima corporis virtute pollent, sed iis qui sapientia ac sermonis eloquentia prae-cellunt, quamvis ob senectutem infirmum habeant corpus.

1) *Videtisne:* Haec est formula adhibita a classicis auctòribus quidquam exemplis vel comparationibus illustrandi causa; hoc loco exemplum profert Tullius illius quod superius in «De senectute» dixerat: «Nihil necesse est mihi de me ipso dicere, quamquam est id quidem senile aetati quenostrae conceditur. Vide-tisne»... — Particula ne pro nonne uititur Tullius da<sup>ty</sup>li rhythmum (*nōnnē vīdētis ūt*) initio orationis devitans,<sup>(1)</sup> et tunc ne valet: «Quid ergo, nonne videtur, quod de Nestore narrat Homerus...<sup>(2)</sup> — 2) *Apud Homerum:* In opere, in auctore quodam aliquid inveniri, sic apud Ciceronem exprimitur: *Scriptum legimus (De off. 2, 7, 25), scriptum videmus, video (De div. 140, 89; De sen. 19, 69) scriptum acceptimus (Tusc. 5, 20, 57), scriptum est (Tusc. 4, 17, 40), est (Tusc. 5, 36, 105), apud aliquem scriptum est (cf. De div. 1, 24, 50), aliquando genitivus auctoris adhibetur: Prometheus ille Ae<sup>thy</sup>li (cf. Tusc. 3, 76). Absonum est a latinitate: in Cicerone, in Homero legitur, est.<sup>(3)</sup> — 8) *Nestor:* Filius Nelei et Chloridis; celebratur ejus longaeva aetas: «Ter aevo functus senex» (Horat. Od. 2, 9, 13), et Tullius h<sup>ic</sup>; item ejus prudentiam sa-*

pientiam (cf. *Tusc. 5, 3, 7*) et eloquentiam (*Cic. Brut. 10*) laudat. — 4) *Praedicit:* (=extollere), praedicare sicut et alia verba ut cognoscere, explicare, expōnere, impetrare, significare, similia, cum transitive construuntur significant «rem totam cognoscere, explicare...», cum vero intransitive praeposita *de*: «notitiam aliquam habere»: «In Italia Caesar cognoscit de Clodii caede». — 5) *Aetatem hominum:* Cfr. locutiones *aetatem agere in litteris, in otio; aetatem ferre* (*Quint. Inst. Orat. 2, 4, 9*): de rebus quae servatae diu durant; «in aetate haud bonum est» (*Herenn. 2, 4, 60*): unquam bonum est. — *Hominum:* pleonastice et ad loquendi perspicuitatem exprimitur: «Aut errore hominum aut timore»: «Sicut opiniones hominum et religiones ferunt» (*Cic. Verr. 5, 72, 187*). — 6) *Nec:* Haec particula usurpari debet cum negatio et copulativa ad eandem pertinent propositionem, i. e. cum tota locutio negatur; et non cum vocabulum aliquod negatur; non voci de qua aliquid negatur immediate praeponitur: «Opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus» (*Cic. De leg. 2, 17, 43*); «Vetus et non ignobilis dicendi magister». Invenitur quoque apud optimos auctores *nec pro et non cum id, ad quod refertur particula nec, immediate subsequitur: «Vir optimus nec ignotus tibi»; «Tu mihi videris Epicharmi acuti nec insulsi hominis sententiam sequi» (*Cic. Tusc. 1, 8, 15*). — 7) *Verendum:* Cum verbis timendi et locutionibus similibus ne non utimur felicem*

(1) Cfr. Menge, *Repetitorium*, 403, Amm. a.—(2) Riemann, *Syntaxe Lat.* § 280, a.—(3) Gundino, *Le Hilo latino*, II, 1.—(4) Menge, *Repetitorium*, 292, Amm. 4.

rei exitum optantes, i. e. si quid metu-  
mus non fieri; ne vero cum contrarium  
appetimus, i. e. si quid metuamus fieri.  
*Timeo ut*: peculiarem habet sensum a *ne*  
*non aliquatenus diversum*, respondet ei-  
nem interrogationi indirectae. Conferas:  
«*Timeo ut sustineas*» (*Cic. Ad fam.* 14,  
2, 3): «*Sollicitus sum, interrogo me ip-*  
*sum quo modo sustinere valeas*» (*Hisp.*:  
Me pregunto con ansia si podrás sobre-  
llevarlo)»<sup>(1)</sup> 8). *Vera*: Res verae in sensu  
concreto *verum*, *vera* dicuntur: cf. locu-  
tiones: *verum discere, si verum fateri*  
*volumus, si verum scire vis* (*Ad Att.* 12,  
40), *a vero abesse, similla; veritas autem*  
*est ipsum verum in se consideratum:*  
«*veritatis cultor*» (*De off.* 1, 30, 309);  
«*In omni re vincit imitationem veritas*  
(*De rat.* 3, 57, 215). — Et nota Latinos  
res concipere atque exprimere ut in re-  
rum natura jacent et parum de abstrac-  
tione curare: «*Post Urbem captam, conditam; Romani miserunt legatos*...» (*Hisp.*  
*Roma enviò*).<sup>(2)</sup> — 9) *Quam ad suavitatem*: Latinī amant initio orationis relativum loco demonstrativi exprimere, ut  
cum praecedentibus strictiorem unionem  
statuant; relativum stat pro *et is, et hic,*  
*bic autem, is enim, igitur*: «*Oculorum est*  
*in nobis sensus acerrimus; quibus (his*  
*autem) sapientiam cernimus*». Cf.: «*Quam ad suavitatem*» — *ad eam autem suavi-  
tatem...* — 10) *Et tamen*: *Quamvis tertiam* hominum aetatem videbat, tamen...  
— 11) *Dux ille*: Demonstrativum *ille*,  
illud usurpamus res tempore aut loco  
dissitas significantes: *ille* locus, *illa* tem-  
pora; eoque etiam utimur ad rem quae  
praecedit declarandam, ad sensum resti-  
tuendum, ad rem vel personam insignem  
aut notam designandam: «*Quam multos*  
*scriptores rerum quaurum magnus illi*  
*Alexander secum habuisse dicitur*» (*Cic.*  
*Pro Arb.* 10, 13): «*Aristides a Themis-  
tocle collabefactus testula illa*» (*Nep.*  
*Arist.* 1, 2). — *Graeciae*: Nomen popu-  
li geographicum pro collectivo gentis aut

civium plurimi occurrit; *Graecia* pro  
*Graecis*, *Aegyptus* pro *Aegyptiis*, cet.:  
«*Doctrina Graecia nos et omni littera-  
rum genere superabat*» (*Tusc.* 1, 1, 3);  
quam tamen veluti persona fictionem  
minime accipiunt civitates, v. gr. *Rhodus*,  
*Atbenae*: «*Caria et Phrigia et Mysia ad-  
hibuerunt aptum suis auribus optimum*  
quoddam dictio[n]is genus, quod eorum  
vicini *Rhadii* numquam probaverunt,  
*Atbenenses* vero supditus repudiaverunt»  
(*Orat.* 8, 25).<sup>(3)</sup> — *Dux ille Graeciae*:  
*Agamēmon*. — *Nusquam optat*: intelle-  
ge: apud Homerū, cf. *Ili*, II, 371. —  
12) *Ajacis similes*: *Similis* cum significa-  
mus intimam et absolutam similitudinem  
quae inter personas aut res intercedit,  
*genitivo* construitur; *dativo* generatim  
cum de rebus comparationem instituimus  
relativam: «*P. Crassus, Cyri et Alexandri* similiſ esse voluit»; «*animus huma-  
nus consimilis est divini animi*»; *Canis*  
*lupo non dissimilis est*» — *Ajax*: Filius  
*Telamonis*, regis Salaminae, ad bellum  
*Trojanum* profectus est ibique mira dedit  
bellicae virtutis specimina. — *Sed ut*: *Sed*  
(optat) ut... — 13) *Quod si*: *Saepenum-  
ero* praecedentia cum sequentibus in ora-  
tione conjungit atque hispanice respon-  
det: *si, y si*; cf. etiam *quod nisi, quod etsi,*  
*quod quia, quod utinam*, cet.; hoc tamen  
loco *quod* est verum relativum ac refertur  
ad «habere decem similes Nestoris». —  
Non dubitat *quin*: Respondet pro certo  
*babeo, nullus mibi timor inest*; sed *non*  
*dubito an* = in hoc versatur mea dubita-  
tio: «*Nolite dubitare quin huic uni cre-  
datis omnia*» (*Cic. Pro Flacc.* 17, 40). —  
14) *Troja*: *Hium* quoque appellata, fuit  
antiquissima ac nobilissima urbs in My-  
isia minore, de ejus situ frustra diu mul-  
tamque ab eruditis disputatum est, eaque  
immortalibus poematis ab Homero et  
Vergilio honestata est ac nobilitata. Circa  
a. 1184 a. Chr., duce Agamemnone,  
expugnata creditur: Plurima quae de ea  
narrantur ad fabulam pertinent.

JOSÉPHUS M. MIR, C. M. F.

(1) *Hao de re consule optimam eleborationem elatissimi Professoris J. M. Pabón, in Emilia. 1938, p. 134-139: «Ut con-  
verbū simendi».* — (2) A. Clima, *Téoria dello stile latino*, Paravia, 8, 24. — (3) O. Wiene, *Les caractères de la lang. latine*  
trad. P. Amelisse, Paris, 1896, § 7.

## Molae Subterranae

S E U

ULTIMAE HORAE CULTUS IDOLORUM ROMANI.

FABULAM IN VACTUS DESCRIPTAM

IGNOTO AUTORE

EX LINGUA ITALICA TRANSTULERUNT

REVERENDI DOMINI WERNER ET MEHLER,

LATINE REDDIDIT

P. ANT. ER. VIATOR, S. V. D.

### P E R S O N A E

PROBUS, senator romanus.

CAECILIUS, filius ejus.

VALENS, tribunus militaris, sororis Probi  
filius.

NUMIDA, servus Probi niger, (simulator  
vafermissimus).

SATURNIUS, flamen Dialis.

METRANUS, pistrinorum possessor, (Fae-  
nerator senex).

ITALICUS, custos servorum Probi.

NARSES, Probi servus.

ASCANIUS, pistrinis praefectus.

OLYMPIUS, idololatres.

CENTURIO.

SERVI Probi.

SERVI Metrani.

SACERDOTES idololatrae.

MILITES.

Actionis locus: Roma: (Atrium Probi;  
atrium Saturni; forum; molae subterra-  
nae).

Tempus actionis: Imperatore Thedo-  
sio, (a. 388 post Chr.).

### P R O L O G U S

Venite cuncti, qui de ludis scaenicis  
Jucunditate rapti delectemini  
Hanc inter aulam per duas horas! Agent  
Non fabulosas res vobis spectantibus,  
Sed Romae gestas acriter, viriliter.  
Senator princeps praestans moribus pro-  
A fure verna fallitur, pater gemit [bis  
Astu seductum filium blandiloquo.  
Diu quaesitum repperit tribunus et  
Patri reducit inter subterraneas  
Molas nihil parcens servorum custodi-  
[bus.

Sed en theatri scaena late panditur;  
Deum cultores saeviunt, fremunt, stre-  
Idololatrae flagitant Victoriae [punt;  
Aram forensem conlocandam denuo:  
Dolis utuntur, juramentis, praemilis.  
Angunt ac terrent Christianos, ethnicos.  
Ast Imperator, Christi fautor inclitus,  
Minas conatus paganorum supprimit,  
Triumphatorem Christum Regem publi-  
[cat.  
Christum victorem Christiani jactitant.  
Christo plaudamus Salvatori gentium!

### ACTUS PRIMUS

(Spacious ac magnificent atrium co-  
lumnis distinctum; sella curulis ad sinis-  
tram prope proscaenium, ad dextram men-  
sula rotunda prope scaenae parietes; sedi-  
lia; in angulo atrii arcula nummis referta

in mensula scaenae extremae apposita. Ad  
sinistram porta fert in interiora; ad dex-  
tram porta altera fert ad peristylium. In  
media parte parietum scaenicarum ad dex-  
tram fenestra, unde conspici potes forum).

SCENA PRIMA.

(*Ad partem scaenae extremam multi servi ordine dispositis, ante quos est Italicus.*)

ITALICUS.—(*ad' servos*) Dominus vester; cum Imperator Theodosius Maximus Victor, patronus vindicta religionis christiana, extinxit idolorum, gaudie horis elapsis in Urbem invecturus sit triumphator, vobis benignissimus permittit, ut exeatis hoc conspectu delectatum. Discedite! (*servi capitibus inclinatis vociferantur: «gratias domino et «eavox», tum egrediuntur ad dextram; postremus ad sinistram Italicus.*)

SCENA SEGUNDA.

NUMIDA, tum ASCANIUS

NUMIDA.—(*capite immisso introspicit, tum cautus intrat cadum manu tenens.*) Contigit! Et Numida pompam triumphalem egit in cellam subterraneam! Instrumenta quaedam ad meum solius usum, adhibeo, et... mirabile, dictu! claves de cingulo semper dependentes tenet cellararius (*ridet...*) Fatuum istum! Propinemus ei salutem! (*potat*) Nonne sum homuncio honestus? singulis diebus binos sextarios... (*potat*)

ASCANIUS.—(*ad dextram intrans circumspicit audit ultima verba Numidae, cui in aurem susurrat*) Furi!

NUMIDA.—(*perterritus resilit*) Ohel! (*cognovit eum et inclinat corpus.*) Domine illustrissime! (*voce mutata*) Execrandum istum! Nunc ipsum mihi occurrit de improviso!

ASCANIUS.—Si dominus tuus nosset, quod ego hic animadverto, pellis tua asinaria per mensem notis vibicium certo exornaretur.

NUMIDA.—(*cum voce gravitate*) Themistocles: «Percute», inquit, «modo, sed audi me», ego dico tibi: «bibe, sed tace». (*cadum ei porrigit*).

ASCANIUS.—(*accipit cadum*): Falernumne inest?

NUMIDA.—Per tuum guttum nihil unquam dulcius demansavit.

ASCANIUS.—Mfñ ergo conveniet (*aridus compluris potat*).

NUMIDA.—Satis, satis! (*eripit cadum manibus ejus et percudit ejus latus*). Hoc tibi vertat in virus. (*inspicit cadu partem interiorem*) Huncine raptorem! Ebibit eum totum!

ASCANIUS.—Hahael Sic tractas amicos, qui tibi efferunt pecuniam?

NUMIDA.—Pecuniam? Cito, cito pendere! (*deponit cadum humi et porrigit manus*) Cedol!

ASCANIUS.—Noli esse tam praeceps. Affero tibi pecuniam et non affero, id est, manifesto tibi, qua ratione te redas ea dignum.

NUMIDA.—Devoret te crocodilus! Et has lucrandi ratio erit proba: atque honesta?... (*inridens*).

ASCANIUS.—Aequa honesta atque aliqua tua ipsius.

NUMIDA.—Illico profitere, quid sentias, simia!

ASCANIUS.—(*voce submissa*) Num quis nos in hoc atrio colloquentes poterit auscultare?

NUMIDA.—Clientum turba, ab illis servi exierunt foras; dominus cum nuntio quodam Imperatoris in sua ipsius conclave se recepit; Caecilius versatur in castris.

ASCANIUS.—Optime! Accipe hunc librum, quem a Saturnio tibi missum in cibicula ponas Caecili.

NUMIDA.—Non ignoro quid agatur. Cedol!

ASCANIUS.—Metranus dominus meus ubi mandat, ut, dum cohortes pompa triumphalis constituantur, in hoc atrio exspectes. Saturnum flaminem dilemp, qui tecum communicabit rem quandam arcanam maximae gravitatis.

NUMIDA.—Exspectabo. Hodie in palatio manebo solus. Vulpes custodit gallinas.

ASCANIUS.—In primis attende, ne quis se insinuet!

**NUMIDA.** — In mea arcana? Quae perscrutari difficilimum esse contendo; at si quis suspicaretur...

**ASCANIUS.** — Quid tunc?

**NUMIDA.** — Deest mihi tempus loquendi.

**ASCANIUS.** — Lepus timide! Cave praebeueris te mihi ignavum.

**NUMIDA.** — Apage, padiane! Me a te non intellegi doleo. Servus quidam, cui nomen erat Narses, unam ex machinationibus meis aliquando jam jam erat deprehensurus. (*digitis dextrae gestum agit furendi*) Intellegisne? Statim, id est, insequenti vespera, postquam cum Mauro quodam pistrinorum possessore Afro libertino pactus sum. Narsem invitavi, ut mecum exiret e palatio ambulatum, mandato nescio quo domini simulato. Quem nonnulli servi Maurini exeuntem manserunt et in pistrino quodam subterraneo minae ejus una cun eo sepulta sunt... Miles quidam juvenis, cum iste misellus vociferatus esset, auxilio succurrebat, sed advenit sero!

**ASCANIUS.** — Num te cognorat?

**NUMIDA.** — Facie statim velata aufugi. Aliquandiu versabar in angore, ne res manifestaretur. Sed illum militem in aliqua pugna jam occisum confido.

**ASCANIUS.** — Quid ergo metuendum?

**NUMIDA.** — Maurus descendit ad inferos et tuus dominus pistrina ejus emit. Ex te igitur, cum sis pistrinorum praefectus, quaerere velim, num vivat adhuc Narses.

**ASCANIUS.** — Ex quo tempore est illatus?

**NUMIDA.** — Ex quinque annis.

**ASCANIUS.** — Intra quinque annos saltem quinques potuit mori. Neque dubito, quin Charon eum jam exposuerit in ripam alteram. Humiditate aeris haturum regionum subterranearum, assiduitate laborum moliniorum, ut frumentum pro populo molatur, tenuitate ciborum firmissimus vigor duabus annis conteritur. Animo poteris esse tranquillo: Narses numquam redibit ut te somniantem sollicitet. (*Caniunt tuba*) Quid est? Num pompa tri-

umphalis agi jam incipit? (*ambo festinant ad fenestram*).

**NUMIDA.** — Minime. Excubiae praetorianorum procedunt in stationem Palatini. Vae mihi! Consperc, quam defixis oculis tribunus me intueatur.

**ASCANIUS.** — Obstupescere eum censeo de faedo vultu tuo rhinocerontico.

**NUMIDA.** — Heu, haec! Tu pecus ista execr..., sed fugere festinal! En lectica illa portatur domini mei filius. Aufuge velociter, ne te offendant! Cadum meum abscondam et librum ponam in mensa Caecili! Propera, propera! (*de trudit ex atrio Ascanium, qui aufugit dextrorum; ipse fert festinanter librum in Caecili conclave, unde cadum nanu tenens scaena transversa dextrorum recipit, Caecilius intrat comitatus ab Italicu, cui tradit togam praetextam, Italicus abit. Caecilius sinistrorum abit ad suum conclave*).

#### SCENA TERTIA

**NUMIDA.** — (*Solus intrat et consistit ad scaenae parietes*) Caecilius in conclavi inveniet librum. Legetne? Nimia utitur familiaritate patris. Saturnius increpavit me, quod animum filii contra patrem incitare intra triennium non potuerim. En ipse advenit.

#### SCENA QUARTA

**NUMIDA et CAECILIUS**

**CAECILIUS.** — (*venit ex conclavi*) Tu Numida, hic?

**NUMIDA.** — (*inclinat caput*) Mandata tua exspecto. Si licet, interrogare velim, fuerisne in castris?

**CAECILIUS.** — Fui ibi; miro ac sollempni momento animus meus motus est atque affectus. Quot videbam tentoria, quot tropaea, quot milites, veste alba induitos et laureatos, quot clamores audiebam laetitiae et cantus triumphales, quod tubarum sonos. Et ego, cum adoleverim nomen profitebor militiae.

**NUMIDA.** — (*blandiens*) Et gloriam consequeris immortalitatis. Posteru res a te

gestas referent sicut alterius Caesaris vel Alexandri. Gloria filii Probi nobilior exsistet atque excelsior quam patris.

**CAECILIUS.** — Fieri, Numida, poterit neutquam. Praeconia quae de patre hodie prolata audiebam, mihi erant deliciis dulcisonis. Multi centuriones, cum me Probi filium esse audissent, me amplexabantur, ad castra visenda ducebant, patrem meum Theodosio familiarissimum esse dictitabant, praeclarissimum Romae patriciorum, justissimum, munificentissimum in omnes, religionis et patriae amantissimum.

**NUMIDA.** — (*simulans*) Dicebant verum. Romanis de patre tuo licet gloriari. Pereat, qui eum non adamet. Quantam benignitatem confert nobis, qui sumus ejus servi. Totam vitam per eum viverem... At dic mihi, quae so, nonne conspecturus sis pompam Imperatoris triumphalem?

**CAECILIUS.** — Num domi me mansurum arbitraris? Viae floribus sternuntur, domus exornantur sertis. Sisticus pappa cum clero Imperatorem exspectat in basilica Lateranensi. Pater permisit, ut triumpho adessem, et adibo.

**NUMIDA.** — Profecto, festum erit magnificientissimum. Splendidissimae autem sollemnitates agentur cras: in amphitheatro dimications leonum et capitum damnatorum, in circo curricula equorum et proelia navalia, in theatro iudi Graecorum scenici.

**CAECILIUS.** — Cras non exibo. Pater me frequentare non vult amphitheatum. Si caedes est crimen, de homine trucidando gaudere aequa dandum est criminis.

**NUMIDA.** — Hoc ipsum modo dixi; de homine necando gaudere vetamur. At si ducenta illa milia hominum, qui aderunt, in sedibus marmoreis sedentium conspexisses, Imperatorem in solio augustissimum, grande tentorium purpureum et stellis aureis distinctum, si audisset dulces fidium so-

nos, rugitum bestiarum, clamores dimicantium, plausus victoribus datos, tu quoque mente furibunda plauderes.

**CAECILIUS.** — Pater, quanvis jucundus sit talis aspectus, me theatrum adire non vult, et hoc sufficit.

**NUMIDA.** — Facere non possum, quin conlaudem pietatem tuam; at non omnes filii sunt sicut tu. Antequam patri tuo sub corona venii, servus eram patricii cuiusdam, cui erat filius ejusdem aetatis ac tu; qui non erat tantis animi angustiis; vestitus a patre frequentabat spectacula.

**CAECILIUS.** — Et patri non solvit poenas?

**NUMIDA.** — Non erat tam fatuus, ut eum eo rem communicaret. Tantum abferat, ut scholam frequentaret, ut servo comite consentiente laetus horas feteret in theatro.

**CAECILIUS.** — Filium contumacem! Nihilne unquam servus indeceavit patri?

**NUMIDA.** — Satis habebat, cur taceret; nam hac ratione veniper infererat ludis ac convivilis, quae adolescentulus cum sodalibus apparabat.

**CAECILIUS.** — Quisnam pro eo faciebat pecuniae impensas?

**NUMIDA.** — (*voce submissa, sed acri*) Pater ejus sicut tuus arcum nummariam in suo concavi collocarat et filiolus occasione data...

**CAECILIUS.** — Nihilne unquam pater animadvertisit furtula?

**NUMIDA.** — Tot nummi erant in illa arca, ut exigua aerarii lacuna minime observaretur. In arca tanta erat pecunia, quanta in armario patris tui.

**CAECILIUS.** — Filium ingratum et furacem! Phuu!

**NUMIDA.** — Hoc idem modo dixi, furari est turpe. Sed attendet Patris pecunia est etiam filii; est utriusque; res ergo non vehementer erat vituperanda... (*Caecilius dat signum taedii ac detestationis*) Ceterum, bene, optime facias, si mandata exequaris. Semper observa patris reverentiam! tum...

(seguir)

## Bibliographia

**Ludw. Lercher, S. J.** — *Institutiones Theologiae Dogmaticae*. — Volumina quat tuor. — Oeniponte. Typis et Sumptibus Feliziani Rauch. 1934.

Theologiae Professores in Universitate Oenipontana magnopere et fructuose laboraverunt in augendis et evulgandis studiis theologicis. Jam antea magnum opus Theologiae Fundamentalis P. Aemiliiani Dorsch recensuimus, et nunc iterum opus P. Lercher de universa Theologia Dogmatica, inclusa Apologética seu Theologia Fundamentalis, accepimus recensem; quod lubentissime facimus. — Hic fuit Auctoris scopus, ut suis Auditoribus et Alumnis, qui in Seminaris aliquisque Academiis Theologicis ad sacros Ordines adspirant, emolumenatum afferret, ita ut Scientia Theologica imbuti, idonei efficerentur ad sacram Ministerium per agendum. Hunc vero scopum Auctorem revera consecutum esse, apprime demonstrat favor in opinione scientifica obtentus Quaedam de ipso opere dicamus. Methodus Scholastica sancte ab Auctore servatur. Brevitatem curat quin tamen claritati sit impedimento. Demostrationes ex Sacra Scriptura desumptae, pluribus textibus abundant; demonstrationes Patristicæ breviores sunt, at completæ. nobisque magnopere placet modus quo P. Lercher textibus studet qui primo conspectu thesi ejus non favent. Licet Auctor brevitatì consultit, ut dixi, sunt tamen quae-dam fundamentales quaestiones quae amplius et profundius tractantur Hujusmodi sunt Unio Hipostatica (vol. III, p. 50-81); Incarnationis Convenientia (p. 233-242); Maternitas et Inmaculata Concepcion Btae. Mariae Virginis (p. 337-351); Transubstantiatio (Vol. III 384-413), cet. Recentiores theses, ut de Sacro Corde Jesu, de Christo Rege, de Assumptione Btae. Mariae Virginis, et de ejus Mediacione Universalis, Theologiae R. P. Lercher includuntur. — Ex his, quae dixi, optime patet opus P. Lercher praecla-

rum esse *Manuale Theologicum*, quod non solum alumnis, ut fuit propositum Auctoris, sed et Professoribus multum inserviet, quibus illud enixe commendamus Egregio Professori gratulamur, itemque Editori, qui tantum opus ad nos misit, grates rependimus.

**Jacques Maritain.** — *Eléments de Philosophie*. — II. *L'ordre des concep-tes*. — I. *Petite Logique (Logique formelle)*. — Pierre Téqui, Rue Bonaparte, 82, Paris.

Ecce alterum volumen egregii operis philosophici, quod Editor ad nostrum Commentarium misit. Reliqua volumina patienter et lente ab Auctore praeparantur, eo scilicet studio et ponderata gravitate in hujusmodi profundis materiis requisita. Hoc volumen eadem quesolet competentia Auctor pertractat. Paradigmata abundant et synthetici conspectus qui non parum conferunt ad claritatem facilemque rerum intellegentiam. Lectoribus animadvertisimus plures quaestiones quae in Manualibus saape cum Logica miscentur, ad Metaphysicam pertinere velut ad locum proprium, ideoque ab Auctore in ea pertractari; quare magnopere solvit eorum difficultas qui theoris philosophicis incumbere inclinentur.

**Jacques Maritain.** — *Sept Leçons sur l'Etre et les premiers principes de la Raison spéculative* — Pierre Téqui, Paris.

Dum assiduo et cotidiano studio M. J. Maritain elaborationem praeparat voluminum quibus constabit opus «*Eléments de Philosophie*», oportunum duxit in lucem praemittere quosdam tractatus qui propter eorum respectum ad hodieras scientias, ampliorem requirunt discussionem. Tractatus quem hodie lectori offerimus est velut quaedam ad Metaphysicam praeparatio. Septem

lectionibus Auctor profunda Ontologiae mysteria penetrare intendit, et in omnibus pagellis dotes Auctoris eminent: praecisio technica, expositionis vigor et claritas atque metaphysica profunditas. Studeant igitur his lectionibus, qui per Metaphysicae scopolosum mare navigare satagunt.

**E, Peillaube.** — *Caractère et personnalité.* — Pierre Téqui, Paris.

Abundat equidem bibliographia psychologica, at non ita quae alumnis commodo esse possit. Ultimum opus notissimi Fundatoris Commentarii «Revue de Philosophie» inter optima recensetur. Liber vere syntheticus exponit profunde et lucide magna et hodierna problemata psychologica: hereditatem, habitudinem, libertatem, etc. Liber magno emolumento erit et honestis hominibus qui in societate vivunt et technicis Philosophis.

**Georges Desgrrippes** — *Études sur Pascal. De l'Automatisme à la Foi.* — Pierre Téqui. Rue Bonaparte, 82. Paris.

Hoc opus ad Historiam Philosophiae, ad Psychologiam et Philosophiam Religionis spectans, explicat methodum qua juxta Pascal facilius ad Fidem quisquam possit pervenire. Optime describitur modus quo incredulus de indifferentismo extens, Fidem amplectitur. Habitus Religionis, cordis humilitas, et christiana Religio argumenta sunt gratiae instrumenta praecipua. In ultimo studio agit de Pascalis respectu ad Theologiam Naturalem. In Appendice denique comparantur ideae Pascalis et Cartesii de automatismo.

**C. H. Weise.** — I. *Pindari Epinicia.* II. *Anacreontis Carmina.* Lipsiae, apud Ott. Holtze.

Ecce duo volumina manualia quae carmina completa praecipuorum lyricorum Graecorum continent. In primi reperiuntur Pindari Carmina Olympia,

Pythia; Nemea, Isthmia. Textus juxta editionem Hensii et Boecquii. In verum divisione ad rythmum praecipue adtenditur. Notulae criticae in fine inveniuntur. Alterum continet carmina Anacreontis aliorumque Poetarum reliquias, ut Sapphus, Alcaei, Timocreontis et Archilochi, quorum mentionem saepe invenies in poetarum Latinorum scriptis. Accedunt etiam in fine Brunckii annotationes criticae.

**C. Hude.** — I. *Xenophon Anabasis.* — II. *Xenophon Hellenica.* — Teubner. Lipsiae.

Notissima domus Editorialis Teubnerii suam auxit Bibliothecam Scriptorum Graecorum editione operum historici Graeci «cuju sermo, ut ait Cicero, est ille quidem melle dulcior» (Orat. 9. 32). De Cyri expeditione nihil est cur loquamur, est enim unus ex amoenioribus libris litteraturae graecae universae. Hellenica seu Historia Graeca septem libris constat, sed ita ut in duas partes possit dividi: unam quae primum et secundum librum, alteram quae ceteros complectitur. Continet historiam Graecorum a victoria navalی Cyzicena (a. 411 a. Ch.) ad praelium Mantineense (a. 362 a. Ch.). — Editio acuratissima et manualis textum exhibit sine adnotationibus criticis. Volumini Anabasis adjicitur tabula geographicā, et alterum volumen indice nominum propriorum finitur.

J. LEACHE, C. M. F.

**Romans Grecs** (Clas. Garnier) — 1 vol. 427 pp. — Lib. Garnier,

Fabularum romanensium genus recentius tantum apud Graecos excultum, non mediocres tamen aluit auctores. Tum «Theagenis at Chariclaea», cum praesertim Pastorales Daphni et Chloe in classicorum gallica editione a cl. Garnier merito recepta, constituant generis specimina apud omnes aetates cunctosque populos eximia. Versio nitiditate, fidelitate, notis collustrantibus omnino commendatur.

**Homero Iliada** (cantos I-III). Texto griego y traducción del Dr. Luis Segalá.—Editorial Voluntad — Madrid.

Non est cur extollamus egregium hunc ac in graecis litteris peritissimum virum, de quo assidui Palaestrae Latinae lectores laudes, et quidem optime meritas, iam saepe audierunt. Nunquam tamen, ut puto, encomia cl. Dr. Barcino-nensis insigniori merito, maioreve classicis studiis profectu sibi acquisiverat quam editione, quae nunc nunc prodit Iliadis, textum primigenium hispanica versione consociante. Copiosa et ad ultimas criticae notitias accurate redacta introductio biographiam et opera, praecursores ac imitatores, historicum nucleum Troiani Epos, Homerique poematum felicem eventum ac valorem eruditè pertractat, idiecta notula de Iliadis textus fixatione, iuxta criticas Magnien et Allen editiones ab auctore paulisper mutatas. Ad textus primigenii criticum apparatum quod attinet, Dr. Segalà amplissimum quemdam indefesso labore ad a. 1931 jam paraverat, sed ejus modestia proprio praetulit in hoc opere illum anglı actoris Allen, licet in multis non leviter auctum variantibus Bentley, Heyne, Meillet etc. et aliquorum papyrorum. Tres primi Iliadis cantus ita disponuntur ut sinistram graecus, dexteram versio occupet partem, critico apparatu notulisque philologicis et historicis ad calcem additis.

Optimum opus, melior tamen spes ut his similibusque operibus illa demum recedat apathia, quae plures ab insignibus linguarum classicarum monumentis frequentandis apud nostrates avertit.

M. CODINA, C. M. F.

**J. Lagrange, O. P. — Histoire Ancienne du canon du nouveau testament** (Coll. «Etudes bibliques») — 30<sup>o</sup> frs. Librairie Gabalda, rue Bonaparte, 90 —Paris (VI).

Nemo est, inter catholicos viros religiosis disciplinis operam navantes, qui

non semel morosa quadam animi delectatione, vere aureos pervolutaverit libros P. Lagrange, omnium exegetarum hodiernorum facile principis. Jam, post tot tantasque Jesu Christi Evangelio dicatas pagellas, nunc demum ut catholicò adjiciat canonicitatis dogmati amplissimum munimentum, quodque quasi culmen sit quinque hucusque omnium plausu editorum de N. T. voluminum, *Introductionem Neotestamentariam* scribere est aggressus, cuius primam partem lectoribus nuntiamus totisque viribus legendum habentissime commendamus.

Historia canonis N. T. centies, hisce ultimis temporibus descripta, ita a cl. A. tractatur ut nova methodo eaque optime adhibita, nitidum reddat tractatum hucusque adeo obscurum et inextricabilem. Quum, testante Horatio,

«... cui lecta potenter erit res  
Nec facundia deseret hunc, nec luci-  
fagus ordo». traditionis monumenta copiosa et distincta oratione explanat, quae demonstrant canonem quem postea Tridentinum dogmatice erat definitum ita factum esse, testante Vaticano, ut «eos Ecclesia pro sacris et canonicis habuerit non ideo quod... sua auctoritate sint approbat... sed quod Deum habent auctorem», quam quidem divinam do- tem Ecclesia traditione cognovit criterio canonicitatis innixa (c. 6). Unde quaesitio nuclearis historiae canonis N. T. non est: qua ratione libri N. T. sint Scripturae S., ut volunt Protestantes, sed quo modo Ecclesia dubia de quorundam librorum canonicitate solverit. Responso in promptu est: Traditionis auctoritate.

M. CODINA, C. M. F.

**La Cronología de Jesus** por el P. José Llamas, O. S. S. —(124 pp.)—Marietti —Turin.

Chronologiae Jesu explicationis tentamina plures exegetarum otium ab ultimis s. XIX annis occupavit. quin lux

in re tam difficili multa prolata sit. His non obstantibus, semper aliquid prodest nova harum quaestionum tractatio, sin minus ut quedam saltem clarius propo-sita, spes sit tandem aliquando plenam solutionem ad futuram. Hac de causa, laudandus maxime est P. Llamas eo quod denuo totam quaestionem ad trutinam revocaverit, magna eruditione et haud parva rationum adductarum copia. Cum loci spatium eius opinones, qua par esset, discurrere non permittat, conclusiones cl. auctoris tantum subtilius sententiam P. Lagrange de censu Quirinii amplectens, illud πρώτη S. Lc. 2, 2 sensu comparativo interpretatur, Verba Lç. 3, 23 ad a. 29-31 vitae Jesu restringit, tres annos publico tribuens ministerio. Nativitas Chr. anno 5 a. Chr. ponitur; initium vitae publicae a. 26; mors a. 29 p. Ch.

*Manuel d'études bibliques.* — T. I. *Introduction générale* (580 p.) — Pierre Tequi — Paris.

Cursu rapido ad terminum perducitur notissimum manuale bibliicum Drum Lusseau-Collombi, quod suo iam tempore lectoribus Palaestrae commendavimus. (febr. 1935). Expectabamus iam dudum, legitimam curiositate, primum ordine logico volumen; penultimum tamen tempore, ad generalem introductionem dicatum. Sed ecce spes nostra, ingenua fatemur, in quibusdam nos fecerit. Credimus enim: nimirum in hoc volumine locum dari quaestionibus ad inspirationem pertinentibus, quibusdam praesertim subtilioribus quaesitis de eius natura (31-131) quae, «etsi» pro sapientibus magni sint ponderis, pro communi clero, cui Manuale destinatur, exiguum affherent utilitatem, dum quaestiones hermeneuticae, praecipui momenti, brevissime tanguntur; deest pariter conspectus saltem syntheticus historiae exegeseos, et cum de duabus agit scholis exegeticis inter catholicos nunc existentibus, nihil de auctoribus dicit ad eas pertinentibus.

Ceterum, si haec, quae ad methodum potius pertinent, excipias, easdem invenies dotes claritatis in dicendo, concinnitatis in exponendis veritatibus, securitatem in sequendis sententias, immo vero in tractatu de inspiratione doctrinarum novitatem, quae evidenter prodit auctorem egregii illius tractatus «Essai sur la nature de l'Inspir.», qui Dno. Lusseau lauream meruit apud P. Comissionem Biblicalam.

**S. Paul.** *Première épître aux corin-thiens* par le R. P. Allo, O. P. 1 vol. in 8.<sup>o</sup> CXII-516 pp. — Gabalda — Paris.

R. P. Bernardus Allo, antiquus in Universitate Friburgensi rerum biblicarum doctor et apocalipticis mysteriis revelandis fama notus, novo ditavit volume collectionem «Etudes Biblique» magnum in I ad Cor. epistolam commentarium complectente.

Nihil a veritate prodes alienum, si omnes dicas alicuius nominis interpretes cognoscere, et saepissime uti, ita ut qui hoc commentarium leget, subsidiis fere non indigebit ad exegeturum de hac epistola sensus apprime callendos. Non tamen opinionum simplicem acerbum invenies, sed opus in multis novum; illud praecipue nobis in ipso placet, quod R. P. abunde demonstret contra plures characterem epistolae inconne-xum defidentes, elus in corporis mystici principio unitatem. Singulos versus separatim explicat, hinc inde tamen idearum nexum proponens. Introductio consuetas solvit quaestiones. Auctor moderniorum admittit sententiam de quatuor ad Cor. epistolas, sed compositionem nimis repreäsentat, nostro quidem iudicio, ad a. scil. 55. Notandi sunt *Excursus* decem et octo, qui modo planiori evolvunt Apostoli doctrinam; inter ipsos autem placuerunt: Exc. 1 de «eloquentia S. Pauli»; 5 «de sapientia apud Apostolum et apud hellenismum» et Exc. 9-18 de eucharistia, glossolalia et resurrectione.

M. CODINA, C. M. F.

# Exercitationes Scholares

**Oscilli ludum.**—Admirandam Mucius ideam habet. —Oscillo moveamur!— dixit quinque pueris, qui secum erant. — Ecce fulcrum atque etiam magnus vectis et ad lusum optimus. Accurrunt vocati atque paucis post temporis punctis oscillum paratum est... Rident omnes quinque, atque: — Sursum, deorsum! Sursum, deorsum!... Quantum gaudii in hoc ludo est!—acclamat. — Sed senex scoparius procul non est, illius tam insulsi ludi taedio jam affectus. Non gaudet ille; ille non acclamat, at ludentes increpat: — Quid facitis hic, pusilones? Abite in malam crucem! — Eum vero pueri derident. Tum furens in eos currit scoparius; sed dum pedem in vectem mittit, sublatis scopis ut pueros percutere posset, hi resiliunt, et erga comites ultra medium partem progrediuntur atque oscillum labefactant. Pueri periculum, qui effugerant irrident; at miser scoparius nutat, labitur et in durum vectem, contra pueros et contra omnia mundi oscilla vociferans, supinus decidit.

MANNIBAL DEL MANSO, C.M. P.  
*Ciampini.*

**Los cacharros, la zorra y la calabaza.**— I. Había trepado sobre una copuda higuera un largo tallo de una floreciente y hermosa calabaza; un magnífico fruto colgaba al lado de los higos aun pequeños.

Dos perrillos se habían detenido mirándole con mucha curiosidad. Despreciando los frutos de la higuera solamente a la calabaza dirigen sus alabanzas. Pero, pasa una zorra y responde a la necesidad de los cachorros; Oh cabezas desconocedoras de lo útil! Porque no sólo por su hermosura o por su grandeza son las cosas dignas de aprecio.

**ANIBAL IGNACIO, C. M. P.**

## **Segovia.**

II.—En una grande higuera se había encaramado el larguísimo tallo de una floreciente y rara calabaza; un grande fruto pendía con dos higos. Dos perricos se habían situado mirando esto curiosamente; desprecian el fruto del árbol; tan sólo alaban el don de la calabaza. Pasa una zorra y reprende su ignorancia; ¡Oh cabezas ignorantes de lo útil! No sólo por los colores y por la magnitud se han de estimar las cosas...

## ALEJANDRO MARTÍN, C. M. P.

Natus est nobis!

**Ne patiatur.**  
**Sunt manus eius niveae columbae.**

**Aureae crines capitis decori  
Et nubes cincte vesti nos exspect**

**Et pedes ejus teneri; nec aequat  
Ulla venustas!**  
**Linteis albis operit Maria;**  
**Dum bovis flatus docilique aselli,**  
**Seu fovent natum modo, seu colentes**  
**Munere donant.**

**Angeli Natum celebrant canentes**  
«Laus sit in caelis cui nil vetatur;  
Sit super terras homini, benigne.  
Foedus amicum.»

J. O. BONET, C. M. P.

### *Cervarice*




## Compositiones vertendae

### Psittacus et Stolidus

Fugerat ex divite psittacus (1) quadam domo:  
 Insideratque (2) ramo sat patulae arboris.  
 Adventat stolidus ad umbram, sole fervido;  
 Avenque conspicatus, pulchritudinis  
 Decore insignem, (3) captare (4) volens, incipit  
 in arborem concendere: sed tunc psittacus,  
 herili more instructus (5) et usu pristino,  
 Salve, inquit, sit bene tibi. Humana percitus (6)  
 Alter loquela: Ignosce; te aven putaveram.

L. ROCCI, S. J.

(1) *Psittacus*: papagayo. — (2) *Posarse*. — (3) *Sumamente bello*. — (4) *Sup.* aven. — (5) *Enseñado por la costumbre de su dueño*. — (6) *Oyendo*.



### Virtute praestat sollertia

Quid agit molossus canis? Ubi quiescit? Quibus vescebatur? Quid vero molitus est canis famelicus odore allactus reliquarum? Quae fuit canis jejuni sollertia? Dum jejonus saturatur, quo cruciatu affectus est molossus?

<i>Perro de guarda, de caza (mastín)</i>	<i>molossus</i>
<i>poner al lado</i>	<i>apponere</i>
<i>sobras, desperdicios (de la comida)</i>	<i>reliquiae pl.</i>
<i>descansar</i>	<i>quiescere</i>
<i>garita</i>	<i>cavea</i>
<i>hambriento</i>	<i>jejonus, famelicus</i>
<i>arrastrado por</i>	<i>allactus</i>
<i>cuenco</i>	<i>vas</i>
<i>rugir</i>	<i>fremere</i>
<i>rechazar</i>	<i>depellere</i>
<i>dar la vuelta</i>	<i>circumire</i>
<i>mirar con atención</i>	<i>inspectare</i>
<i>cadena</i>	<i>catenae pl.</i>
<i>ladrar latrare</i>	<i>saciado</i>
	<i>satur-a-um</i>

Comestibles, Conservas, Coloniales, Pesca Salada

# HIJA DE F. PIJUAN

Drogas, Pinturas, Barnices y Esmaltes

Carmen, 23.—Teléfono, 77.—TARREGA(Lérida)

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.

Moderator

Typtografia F. Camps Calmet. — Tarragona